

**Dissertationem philosophicam de philosophia Adami putatitia ... /
disquisitioni subjiciet ... V.H. Regenfus.**

Contributors

Regenfus, Vitus Hieronymus, 1692-1765.
Feuerlein, Jakob Wilhelm, 1689-1766.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

Altdorf : M.D. Meyer, 1715.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/e2ntbx9w>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIONEM PHILOSOPHICAM

DE

PHILOSOPHIA ADAMI
PVTATITIA,

PRÆSIDE

DN. JAC. WILHELMO FEVERLINO,
LOGICES P. P., ALVMNEI ET OECONOMIAE
INSPECTORE,

PLACIDAE COMMILITONVM DISQVISITIONI
SVBJICIET

AD D. XVIII. DECEMBR. MDCCXV.

RESPONSVRVS AVCTOR

VITVS HIERONYMVS REGENFVS,
NORIMB.

ALTORFII,

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

DISSERTATIONEM PHILOSOPHICAM

DE

PHILOSOPHIA ADAMI

EVANGELII

FRANCISCI (3) 00785

WILHELMO FEUERLINGO

LOGICES P. M. ALMINE



FRANCISCO COGNOMINE

AD DI. K. H. M. D. C. C. C. C.

REGIOMONTANVS AVCTOR

VITVS HERONIMVS REGENTVS

ROTHOMAGENSIS

ALTONA

LITTERIS HAERED. D. J. H. M. D. C. C. C. C.



I.



Philosophiæ, quæ singulare Dei donum, atque insigne mortalium ornamentum recte habetur, ea hodie est conditio, ut misso antiquitatis præjudicio, rationi magis indulgeat, rerumque causas diligenter scrutari atque prudenter rimari suscipiat. Omnes enim

Explicatur
vox Adam
Etymologicè.

Scientiæ Philosophicæ, quo propius ad originem suam accedunt, hoc majoribus imbecillitatibus obnoxias & tenuiores esse, quem nostrum fugit? Documentum hujus rei luculentissimum præbet Philosophia Adami, quam putatitiam hac Dissertatione Bono cum Deo sistam. Non incongruum erit, ab ipsorum nominum in fronte occurrentium consideratione facere initium. Adam videtur plerisque dictus fuisse ab אדמה terra, ut Deus homini, statim atque conditus erat, memoriam tenuissimæ originis perpetuam infingeret, phylacteriique instar commendaret illud, quod extat Gen. II, 7. & III, 19. atque 1. Cor. XV. 47. confirmatum legimus. Ast hæc deducendi ratio non omnibus arrisit autoribus, quin aliam invenirent, in qua consideranda exercerent ingenium. Derivarunt nempe Adami nomen ex vocabulo אדם, quod similitudinem denotat, & mnemosynon putarunt imaginis Dei, qui, faciamus, inquit, Gen. I, 26. hominem non tantum בצלמנו, sed etiam כדמותנו secundum similitudinem nostram. Est hæc sententia Cl. Reimmanni in der Einleitung in die Hist. liter. Antediluv. p. 3.

Sunt etiam quibus placet observare אדמא denotare rubedinem, & , cum rubedo præcipuum pulchritudinis indicium sit, ut constat è Sam. XVI, 12. & XVII, 42. ubi pulcher David אדמוני rubicundus describitur : idcirco autumarunt, vel eam ob causam primum hominem dictum fuisse Adamum, quia exemplar quasi pulchritudinis extitit. Nullus enim dubito, quin Adamus a Numine perfectissimo, nulla interveniente causa agente secunda productus perfectissimus fuerit, adeoque jure meritoque qua corpus qua animam pulcher dici potuerit. Conf. Bælii Diction. Hist. & Crit. Articulo de Adamo not. (E). Nihil moror Rabbiorum frivolas atque jejunas opiniones, quibus ipsum describunt nostra quidem sententia deformissimum, dum aliqui Androgynum eum faciunt occasione Gen. I, 27. & Ps. CXXXIX. eoque ipso statuunt, corpus Adami duplex fuisse, ab altero latere masculinum, femininum ab altero, ita, ut Evæ productio non facta fuerit, nisi separatione & divisione. Verba Rabbiorum sequentia sunt אמר ר' ירמיה בן אלעזר בשעה שברא הקב"ה את אדם הראשון אנדרוגינים בראו ה'ה' זכר ונקבה ברא אותם : i. e. dixit Jeremias filius Eleazar ea ipsa hora, qua Deus creavit hominem primum, Androgynum creavit eum, sicut scriptum est, masculinum & foeminam creavit eos. Paradoxon hoc sovent Mepasse Ben Israël, Maimonides, Eugubinus, Autor libri, cui titulus le Nouveau Visionnaire de Rotterdam 1686. editi, teste Bælio l. c. not. (F), parum hinc recedit Antonia Burinonia, cum enim vidisset, arborem sui similem producere sine conjunctione, pro imperfectione habuit, homines non generari, nisi post conjunctionem maris & feminæ, atq; hinc collegit, Adamum sine hac imperfectione solum suffecisse generationi hominis, & in ventre suo instructum fuisse ovario atque liquore ova foecundante, quæ uberius legi possunt apud Bælium l. c. not. (G). Alii inusitatæ plane altitudinis formam ipsi adjudicant, qui tamen ipsi inter sese non conveniunt. Alii nempe centum, alii rursus ducentorum cubitorum altitudinem

nem

nem ei attribuunt, alii etiam procedunt ultra. Verba Rabbino-
 norum sequentia exhibet Bartoloccius in Bibliotheca Magna
 Rabbinica T. I. p. 66. ר' יודן אמר מאה מאה כאדם הראשון
 ר' שמעון אמר מאתים מאה : ר' אלעזר בר שמעון אמר שלש
 מאות i. e. Rabi Jodan dixit : centum cubitorum erat , sicut fuerat A-
 dam : R. Simeon dixit , ducentorum cubitorum : R. Eleazar
 dixit , trecentorum cubitorum : R. Abau nongentorum cubi-
 torum, conf. Bæl. not. (L) nihil jam dicam de iis, qui Adamum
 pro Embryone habent, vi loci Psal. CXXXIX, 16. de quibus
 aliisque quamplurimis vid. Bartoloccium in Bibliotheca Magna
 Rabbin. p. 65. seqq. Quod attinet nunc ad tres illas deriva-
 tiones modo recensitas , judicium difficulter admodum ferri
 posse, arbitror : utrum aliqua & quænam ex iisdem autorem
 nominis, supremum Numen, eo induxerit , ut primo homini
 Adami nomen imponeret : siquidem res facti est, quæ, quem-
 admodum nunquam revelata est, ita decisionem nostram re-
 spuit , imo superat. Si quid autem statuere licet , neutram
 ipsarum incongruam esse censeo, nisi quod media, quæ imagi-
 nem Dei in homine primo eleganter insinuat, cum formis No-
 minum Hebraicorum omnino non conveniat , quod, si quis
 conferat Celebr. D. Danzii Paradigmata Nomin. ac Verborum
 Class. III. membr. II. liquido apparebit. Plura de Etymologia
 vocis Adam vid. in Cl. Clerici Comment. in Pentatevchum ad
 Cap. I. v. 26. II.

Ordo nunc requirit , ut ad alteram rubricæ vocem con-
 siderandam nos accingamus , & , quid Philosophiæ nomine in-
 telligendum veniat, indicemus. Vocem vero admodum am-
 biguam esse ostendit Celeberr. Thomasi Introd. in Philoso-
 phiam Aulicam Cap. II. §. XXII. Arnoldi Tabulæ de Philoso-
 phia in genere Tab. I. & Dispp. Omeisianæ de Philosophia in
 genere & de Philosophia vitæ Duce §. IV. Prima & latissima
 vocis acceptio est, qua Patres nonnulli, e. g. Gregorius Na-

Vox Philo-
 sophia.

zianzenus, Lactantius, Bernhardus, ipsam quoque Theologiam revelatam sub Philosophiæ nomine comprehenderunt, quæ quidem acceptio, quamvis non sit incongrua, nobis tamen hoc loco non arridet, neque etiam negare possumus, Adamum & ante & post lapsum per divinas revelationes in sacra hac Philosophia nimium quantum excelluisse: altera Philosophiæ significatio locum hic obtinet, quæ respectu prioris arcta quidem est, siquidem Theologiam ambitu suo excludit, respectu aliarum tamen strictiorum vocis suppositionum ampla satis est, atque secundum Platonem aliosque Philosophos Veteres definitur, rerum divinarum humanarumque scientia, quatenus ductu rectæ rationis cognosci possunt. Si hoc modo Philosophiam accipiamus, nihil obstat, quo minus ad illam referri possit Logica, Metaphysica, Physica, Mathesis, Pnevumatica, Theologia Naturalis, Philosophia Moralis, Ethica, Jurisprudentia, Politica & quæ sunt scientiæ humanæ aliæ: de his quæritur, an vel omnium vel unius alteriusve systema in Adamo, primo humani generis parente quæri ac inveniri possit? In negativam me inclinare partem è tertio rubricæ vocabulo constat. Cum de Philosophia Adami Putatitia bono cum Deo agere decreverim; falsam eandem dico, non logice falsam, quasi cognitionem Adami errorum insimularem, sed Metaphysice falsam, quæ cum nomine & apparentia sua disconvenit. Quemadmodum vero omnis veritas & falsitas Metaphysica non tam in re, quam iudicio de illa re vero & falso quæri debet, atque de re ipsa non prædicatur nisi metonymice, ut hoc bene observavit Excellentiss. DN. PRÆSES in Medicina Intellectus Cap. III. §. XX. ita etiam h. l. dum Philosophiam Adami falsam nomino, non ipsum Adamum, sed horum potius iudicium, qui Adamo integra Philosophiæ Systemata tribuerunt, falsitatis atque erroris argui debere existimo.

III.

Vt autem eo melius progredi valeamus, licebit nobis

Auto-

Autorum quorundam sententias proferre, qui vel omnes omnino Philosophiæ partes, vel præcipuas saltem Adamo adscribunt. Communem hanc esse sententiam, docet Ludovici Morery Grand Diction. Histor., quod in Art. Adam sequentia habet: *Possedit, ut ferunt, perfectam cognitionem scientiarum & imprimis Astrologia, cujus plura arcana liberos suos docuit per hos ad posteros propagata.* Consentit Bayle in Dict. Hist. & Crit. not. (D) ad Art. Adam: *Ut redam, inquit, ad vastam Adamæ scientiam, secundum communem opinionem (vid. Saliani Annal. T. I. p. 107. 113.) plura scivit à primo vitæ suæ die, quam nullus hominum per longam experientiam assequi potest, fere sola futura contingentia, cogitationes aliorum, & pars individuorum fugerunt ipsius notitiam.* In sequentibus testatur Bælius, quamvis Cajetanus, cognitionem astrorum & elementorum, atque Pinedo Politicam exceperit atque Adamo denegaverit, hos tamen nullum consecutos fuisse applausum, communi efato, Intellectum primi hominis *Theoreticum imbutum fuisse omni cognitione Philosophica & Mathematica, cujus genus humanum naturaliter capax est: intellectum autem practicum possedisse prudentiam consummatam respectu omnium officiorum hominis & privatorum & publicorum, præterea omnium scientiarum moralium & artium liberalium, Rhetorica, Poëseos, Pictionis, Sculptura, Agricultura, Scriptura.* Sed videntur nominandi esse nonnulli Panosophias Adamiticæ assertores. Hos inter primum locum obtinere potest Svidas: Digna sunt verba ejusdem, quæ hic legantur ex Historicorum sive Lexici tit. Adam (nisi fortassis ab aliis addita suspiceris, quod sæpius Lexico huic accidisse testantur Baillet Tom. III. des Jugemens des Sçavans atque exinde Dn. Reimmannus in Histor. litter. Antediluv. p. 29.) οὐτὸ ἐστὶν ὁ δοκιμάσας ἕκαστα, καὶ πᾶσιν κανόνας, καὶ σίδημα ἀκρεβῆς καὶ ὄρεος ἀνανήροῦτος ἐναρμολύμενος. Τὰτα τέχνηαι καὶ γράμματα. Τὰτα ἐπισήμαι λογικαὶ καὶ, καὶ ἀλογαί. Τὰτα πορφηταί, ἱεραργαί, καὶ καθαρμοὶ, καὶ νόμοι, γραπτοὶ καὶ ἀγραφοί.

ἀρχαῖοι. Τὰς πάντα εὐρήματα ἢ διδάγματα ἢ ὅσα κατὰ τὸν
 βίον ἀναγκαῖαι. ῥέειαι τε ἢ διαταί. i. e. Hic est is, qui probavit
 omnia, & omnibus regulas, & amusses exquisitas & limites ir-
 refragabiles circumdedit. Hujus inuentum sunt artes & litera;
 hujus scientia tam diserta, quam muta; hujus prophetia, sacri-
 ficia, lustrationes, leges & instituta; hujus omnes inventiones,
 omnes doctrina & quicquid utile est atque necessarium. Svi-
 dam excipit Athanas. Kircherus Oedip. Aegypt. Tom. II. pag.
 43. seqq. ubi quidem ex instituto de primis literis & scriptio-
 ne ab Adamo inventis, agit, hac tamen occasione Philosophi-
 cam Adami eruditionem summis laudibus extollit, asseritque:
*Adamum, in summa perfectione à Deo conditum, ea rerum qua
 divinarum, qua humanarum notitia excelluisse, ut sicuti nullus
 ex humano genere, cujus princeps erat, & è puris hominibus à
 Deo Opt. Max. majori perfectione fuit conditus, ita nullum quo-
 que majoribus animi corporisque donis imbutum fuisse, credendum
 sit. Paulo post ita pergit: Cum autem perfectiones animæ na-
 turales nihil aliud sint, quam scientiæ, Philosopho teste, conse-
 quens est, eum omnium mortalium scientissimum fuisse. Cum
 etiam Adamus totius humani generis Doctor erat futurus, certe
 congruum erat, ut in ipso productionis suæ exordio, præter insu-
 sos scientiarum habitus etiam mirifica quadam docendi alios ho-
 mines facultate imbueretur &c.* In sequentibus non tantum
 in universum consummati Philosophi encomio Adamum ornat,
 sed in specie etiam Grammaticum, Lexicographum, Physicum,
 Medicum, Astrologum, Mathematicum, Chemicum nominat.
 Provocat Kircherus inter alios secum statuentes p. 44. ad R.
 Gerson, cujus hæc exhibet verba: חכם הגדול ראש הפילוסופים
 תלמיד האלהים יודע כל כוחות העשבים וחיות והעצים והוא
 רופא ובעל הכוכבים וממנו יוצאות כל אמונות ומדעות
 i. e. Adamus sapientissimus & Princeps Philosophorum, immedia-
 tus Dei discipulus, gnarus virium herbarum, animalium ar-
 borumque, Medicus quoque fuit, & Astrologus, & ab ipso
 omnes

omnes artes & scientiæ profluxerunt. Producit etiam adstipulantem his Paraphrasten in Pentatevchum Samaritanum his verbis: *Et plasmavit Adamum, replevitque ipsum spiritu sapientia & scientia, ut inde ad posteros omnes artes & scientia, tanquam ex primo fonte promanarent.* Huc quoque respiciunt Rabbini Aphorismum illum: staturam Adami extensam esse ab uno fine mundi ad alterum; de universali ejusdem cognitione rerum omnium explicantes, quod refert Bayle l. c. Neque aliam sententiam fovisse videtur Cartusianus ille Henricus de Hassia, qui initio sec. XV. vixit, atque cum Aristotelem summis condecorare vellet laudibus, scientiam ipsius æque amplam esse ac Adami affirmavit, teste citata sæpius nota Bæliana. Idem placuit Petro Lambecio, qui in Prodomo Hist. Lit. Lib. I. Cap. II. §. III. inde, *quod primus homo Adamus in Asia à Deo creatus fuit, eamque posterè ipsius antediluvianè inhabitaverunt, colligit, non tantum primitivam veræ Theologiæ, rituumque sacrorum & rectæ rationis vivendi cognitionem, verum etiam inventionem præcipuarum artium & disciplinarum liberalium primumque literarum & scripturæ usum illi orbis terrarum partì merito attribuendum esse.* Ejusdem libri Cap. VII. §. II. p. 59. editionis Fabricianæ, ubi occasione Medicorum Josephi originem Medicinæ ab Adamo derivandam esse statuerat: *Quippe quem, inquit, non minus primum Medicum, quam primum Theologum, primum Grammaticum, primumque Philosophum tam Theoreticum quam Practicum fuisse existimo.* Repetit denique hanc sententiam de Philosophia Theoretica & Practica Adami p. 134. eidemque constanter se adhærere indicat. Nihil jam dicam de Benedicto Pererio, qui (uti Joh. Henr. Vrsinus in Diff. de Sanchuniathone Sect. II. & Lamb. lib. cit. Cap. II. §. V. docent) in Comment. ad Genesin, itemque in Disputatione de *Amplitudine & Excellentia Scientiæ, quam Adamus habuit, & qua ratione cunctis post se hominibus fuerit*

B

sapien-

sapientior, eandem, quam nominati supra Autores, asseruit Adami Polyhistorian.

IV.

Sententia
nostra ex-
plicatur.

Ante vero quam ulterius progrediamur, atque argumen-
ta nominatorum Autorum discutiamus, paucis explicabimus
sententiam nostram, qua suppeditata, toti nostræ tractationi
lux affundetur. Primo igitur monemus sententiam nostram
à Socinianorum hypothesibus esse remotissimam: cum enim
isti non tantum negent, imaginem Dei, qua primus homo ex-
celluit, in Sapientia Intellectus & Voluntatis Sanctitate præ-
cipue constitisse, sed etiam ut peccatum originale & satisfac-
tionem Christi extenuent vel annihilent, primitivam Adami
scientiam & sapientiam æque ac justitiam admodum exiguam
fuisse statuunt, idque ex ignorantia nuditatis Gen. III, 7. colli-
gi posse existiment (quos refutatos vide apud egregie perspi-
cum Bechmannum nostrum Theol. Polem. loc. III. Controv.
I. & accuratum Reformatorem Doctorem Heideggerum Corp.
Doctr. Christ. Loc. VI. §. XCV. seqq.) nos ambabus largimur
manibus, Adamum vi imaginis divinæ & justitia voluntatis &
sapientia intellectus eximia præditum fuisse, & quamvis natu-
ralem cum Theologis nostris dicamus hanc primi hominis sa-
pientiam, eo quod homo ad actus suos connaturales recte
exercendos carere eadem non poterat, quod cum natura ejus
cœpit, eidem inhæsit, eam perfecit, atque cum ipsa ad posteros
propagari debuit, dubium tamen non est, quin ratione origi-
nis suæ & principii cognoscendi supernaturalis fuerit, conf.
Gerhardi Loc. Theol. de Imagine Dei in homine ante lapsum
§. 79. Quocirca neque Sociniani adstipulamur, neque Theo-
logis nostratibus contradicimus, dum scientias Philosophicas
è lumine Naturæ desumptas primo homini denegamus, revela-
tam cognitionem eidem lubentissime concedentes. Neque
etiam secundo negamus, Adamum & ante lapsum & post eun-
dem

dem ratione sua usum fuisse, atque hac sola, sine revelationis adminiculo, unam alteramve invenisse veritatem. Multo minus tertio putamus, Adami intellectum adeo fuisse hebetem, ut, quamvis non defuisset occasio, nullam tamen scientiam Philosophicam assequi & ad fastigium aliquod evehere potuerit. Est autem nobis animus, erroris convincere illam opinionem, quæ integrum totius Philosophiæ aut præcipuarum ejusdem partium systema Adamo tribuere non veretur. Idem fere sentimus, quod Bajerus noster in Comp. Theol. Posit. Loc. de Imagine Dei §. IX. not. (d) negans, *ita perfectam ac diffusam fuisse primi hominis sapientiam, ut accuratissimam rerum naturalium omnium scientiam inferret.*

V.

Nec desunt rationes, quibus sententiæ nostræ fidem conciliare, vel potius cum negativis nos tueamur partes, quibus opinionem de Pan sophia Adami convellere possumus. Quod attinet ad Statum ipsius integrum & primitivum, supponimus fuisse eundem mortalium omnium perfectissimum, ita tamen perfectum, prout natura hominis finita id admittit. Mens humana eam habet naturam, ut facultate ratiocinandi gaudeat atque in eadem cum primis magna intellectus vis sese exferat; hac igitur Adamum quoque præditum & usum fuisse nullus dubito. In primis vero, si exactam quarumcunque disciplinarum Philosophicarum cognitionem eidem vindicare velimus, innumeris vicibus eundem ratiocinatum esse, statuamus oportet: paucissima enim habemus in Philosophia Axiomata, pleræque contra Veritates demonstratione & probatione egent. Præterea cum omnis cognitio humana ab experimentis particularibus initium capiat, manifestum esse puto, non sine mille experimentis Polyhistorem evadere potuisse Adamum. Inquirendum igitur, an nihil obstet, quo minus tantum experimentorum & ratiociniorum numerum primo

Argumenta
nostra con-
tra Panso-
phiam Ada-
mi.

Parenti assignemus. Videtur autem, si nihil aliud, tempus ob stare, cujus ingens spacium hunc in finem fuisset requisitum, namque magna cum probabilitate statui posse existimo, exiguum admodum esse temporis spacium, quo Adamus in Integritatis statu permanfit. Pauci procul dubio a creatione Viri præterlapfi erant dies, cum crearetur Eva; credibile etiam est, posteaquam divina benedictione copulati, & generationis causa sexus discrimen a Deo factum non ignoraverant, mox eidem vacasse Protoplastos. Sed deturbati jam erant e beato illo statu, cum conciperetur, minimum cum nasceretur primogenitus ipsorum filius, secundum Gen. IV. Paucos itaque menses, fortassis paucos tantum dies durasse videtur prima Adami Integritas. Si porro cogitemus, magnam exigui hujus spacii partem veritatum divinitus revelatarum meditationem atque cultum Dei sibi vindicasse, tantillum restabit temporis, ut sufficientem pro Pansophia experimentorum & ratiociniorum numerum implere naturali modo non potuerit. Non est, quod regeras, Adamum primo statim intuitu sine meditatione res quascunque accuratissime didicisse: eo ipso enim vel statues primum hominem facultate ratiocinandi, quæ nobilissima est, destitutum, vel frustra hanc eidem datam fuisse concedere teneberis; quorum illud Adamiticæ, hoc divinæ perfectioni repugnat. Si vero infusam, & connatam, aut alio modo extraordinario ortam dicas Adami cognitionem, tunc Philosophicam & e lumine naturæ ortam esse, de qua tamen disputamus, jure negabo. Nihil jam de eo dicam, Adamo integro quædam defuisse experimentorum genera, e. g. Ethica, Logica, Medica, quæ mentis atque corporis corruptionem non supponunt, atque nominatis scientiis fundamentorum loco inserviunt: neque etiam nunc urgebo, quasdam ex scientiis Philosophicis, quæ Adamo vulgo tribuuntur, superfluas perfectioni ejusdem, quasdam cum multum vanitatis contineant,

neant,

neant, inconvenientes videri; hac enim de re infra agemus, ubi singulæ, quas Protoplasto assignant, Philosophiæ partes considerabuntur. Novum argumentum probabile suppeditat accuratior æstimatio perfectionis. qua Adamum polluisse putamus. Docet experientia, homines, qui insigni gaudent intellectus acumine, atque ad artes scientiasque invenendas & perficiendas nati sunt, judicii Practici defectu laborare; & vice versa, qui hoc pollent, illo esse destitutas: cum vero id ipsum non tam ex imperfectione aliqua, quam potius e conditione finitæ & limitatæ perfectionis humanæ, qua non omnia possumus omnes, oriri videatur, non incongruum erit, Adamum judicio Practico excellentem atque supremæ felicitatis cupidum, ad integra autem Systemata Philosophica excogitanda & expolienda neque curiosum neque pronum concipere. Addam tertium argumentum a defectu omnium monumentorum historicorum desumptum. Quodsi Parens generis humani ante lapsum consummatus fuisset Philosophus, procul dubio post lapsum, quo naturales mortalium facultates, memoria imprimis, non omnino perierunt, Philosophiæ suæ memoriam habuisset, eandemque ad posteros, quos feros satis propter longævitatē vidit, propagasset; sed vero nec vola nec vestigium scientiarum Philosophicarum Adamitarum unquam comparuit (fabulæ enim sunt, quæ de Tabulis aliisque libris Adami & columnis Sethi traduntur, sub finem hujus Diff. detegendæ) multo potius, quo propior Philosophia est origini, eo remotior ab omni ratione systematica deprehenditur; & sapientia Barbarica, quæ Græcæ dedit originem, multum autem suæ originis traditionibus Patriarchalibus debet, *non ob dogmatum subtilitatem, sed morum integritatem* conspicua erat, uti bene annotavit Vener. Buddeus in Delin. Hist. Phil. Cap. III. §. XXXV. adhæc Systemata videntur supponere sententiarum atque sectarum diversitatem, atque huic ipsi & obstaculo

hinc metuendo esse opposita : Ex quibus omnibus probabiliter infero, in Adamo ante lapsum nullum esse quærendum Systema Philosophicum. Iisdem fere argumentis probari potest. Adamum neque etiam post lapsum Philosophiæ talem impendisse operam, ut consummatus Philosophus jure meritoque dici possit. Quo minus enim id concedamus, obstat defectus omnis monumenti historici atque vestigii, itemque indoles Adami, qua ante lapsura ad excogitanda Systemata Philosophica non primum, post lapsum non satis aptum fuisse conjicimus. A tempore quidem (cujus penuria argumentum primum contra Panfophian Adami integri suggestit) argumentari nunc non possumus: ingens enim nongentorum, & quod excurrit, annorum spacium, quo vixit Adam, suspicionem potius facit, per longissimam experientiam ad culmen scientiarum pervenisse. Sed opponimus huic conjecturæ præter rationes modo allegatas occupationes, quæ parum temporis pro speculationibus Philosophicis homini primo in easdem non proclivi reliquisse videntur: Magna temporis pars impendenda erat cultui divino, meditationi veritatum divinitus revelatarum, exercitiis pœnitentiæ, magna educationi liberorum, magna denique culturæ agri fertilitate sua pristina privati: residuum autem tempus minime videtur suffecisse pro concinnandis integris Philosophicarum scientiarum systematibus. Insuper historica docent monumenta, scientias Philosophicas & Theoreticas & Practicas 2000. post Adami obitum annis in tenuibus admodum fuisse initiis, ita ut characterem mundi recens orti hinc colligant, atque Atheorum de Mundi æternitate sententiam hinc confutent eruditi. vid. Abbadie *Traité de la Verité de la Religion Chrétienne* P. I. Sect. I. Cap. IX. Plane igitur improbable est Adamum vel ante vel post lapsum consummatum fuisse Philosophum.

VI.

Vt vero magis probabilem reddamus sententiam nostram, Argumenta
 argumenta assertorum Panfophias Adamiticæ proferemus, ea-
 que facta prius, quantum fieri potest, speciosissima, refutabi-
 mus. In universum pro Polyhistoria Protoplasti sequentia
 militant argumenta. Primo quidem Adamus in statu inno-
 centiæ tanta præditus erat perfectione, ut Deo potuerit omni
 ex parte placere. Erat enim, quicquid Deus fecerat, opti-
 mum Gen. I, 31. dubium igitur non est, intellectum ipsius ple-
 na atque habituali sapientia præditum, intimos cujuscunque
 rei recessus vel à prima nativitate cognitos perspectosque ha-
 buisse, vel primo statim intuitu cognoscere potuisse, adeoque
 universali rerum divinarum humanarumque scientia, quæ est
 intellectus maxima perfectio, instructum fuisse, id quod con-
 firmare videtur Col. III, 10. imaginem Dei in agnitione con-
 sistere adstruens. Præterea ignorantia, ideæ inadæquatæ, er-
 rores pro vitiis intellectus humani merito habentur, atque
 originem trahunt è voluntatis corruptione, adhæc inter ob-
 stacula eruditionis non ultimum est diversitas sententiarum,
 quæ in diversa trahit animum: Hæc vero omnia cum in prima
 hominis primi conditione locum habere non potuerint, eru-
 ditionem Adami omnibus numeris absolutam indicare videntur.
 His de statu integritatis præmissis, quod secundo attinet
 ad eruditionem Adami lapsi, quamvis intellectum peccato pri-
 mo depravatum, adeoque vires ejusdem etiam in cognoscen-
 dis naturalibus hebetatas fuisse, negari nequeat, Panfophiam
 tamen ejusdem partim recordatio pristinæ cognitionis conser-
 vasse, partim longævitas, vi cujus ipse solus magis quam cen-
 tum homines brevioris vitæ præstare potuit, amplissima expe-
 rientia plurimaque meditatione denuo excitare potuisse vide-
 tur. Respondemus nunc ad prolata argumenta: 1) perfe-
 ctum fuisse primi hominis intellectum neutiquam inficior: Refutantur.
 hæc

hæc ipsa autem perfectio in infinitum extendi nequit, ita enim omniscium & alterum Deum fingere deberemus Adamum: limites igitur perfectioni ejusdem intellectuali constituendi, iidemque partim ex fine hominis partim e natura ac indole ejusdem discendi sunt. Finem primi hominis fuisse supremam felicitatem a Deo & unione cum ipso expectandam, atque hinc quicquid de hac beatitudine & mediis ejusdem cognitu fuit necessarium, Adamo vi perfectionis primitivæ innotuisse certissimum est. Hunc autem in finem non opus erat ampla scientia: Egregia sunt, quæ huc referri possunt, verba Senecæ Lib. VII. de Benef. Cap. I. *nec de malignitate natura queri possumus, quia nullius rei difficilis inventio est, nisi cujus hic unus inventa fructus est, invenisse. Quicquid nos meliores beatosque facturum est, aut in aperto, aut in proximo posuit.* Nihil minus igitur quam totius Philosophiæ necessitas ex hac perfectione inferri potest, imprimis cum revelatio, qua non caruisse Adamum Theologi nostri docent (vid. supra §. nostrum IV.) satis eundem instruere potuerit, atque citatus locus Col. III, 10. non aliam quam revelatam cognitionem exhibeat. Sunt vero etiam limites describendi pro cognitione primi hominis e natura ejusdem. Hæc rationalis, ad ratiocinandum & cum mora meditandum comparata est, primo igitur intuitu, sine mora res quascunque obvias solide & accurate cognoscere, naturæ Intellectus humani repugnat: repugnat etiam connatas esse actu quascunque Veritates Philosophicas, frustranea enim esset facultas veritatem inveniendi homini concessa. Ut paucis multa complectar, e perfectione Adami primitiva nihil aliud inferri potest, quam gavisum fuisse ipsius intellectum cognitione felicitatis suæ & mediorum eo deducentium: verum an naturalis & Philosophica, an vero supernaturalis & Theologica fuerit, ex hoc medio termino decidi nequit. Concedam tamen Adamo particularem cognitionem unius alteriusque

e sola

e sola ratione sumtæ, id est Philosophicæ veritatis; exinde vero integras scientias Philosophicas eidem tribui posse nego atque pernego. conf. §. IV. Quodsi conceptus Philosophiæ & disciplinarum philosophicarum Aristotelicos, Scholasticos aliisque modis ineptos, quos tamen nominati supra Panso- phias Adamiticæ Patroni fovent, accuratius evolverem, mani- festum esset, Philosophiam illam non tantum à prima Adami perfectione non exigi, sed etiam ob insignes imperfectiones & vanitates maximam partem respui. 2) annotandum censeo, a defectu impedimentorum quorundam eruditionis philoso- phicæ nondum bene satis colligi posse Philosophiam Adami: dispiciendum potius est, an nulla alia ipsum retinuerint obsta- cula, an subsidiis satis fuerit instructus, denique an voluerit animum applicare ad studia colenda. Obstitit defectus diver- sorum Philosophematum: quamvis enim hebetiora ingenia & præjudiciis implicita diversitate sententiarum distrahantur, ii tamen, qui sine partium studio in veritates inquirunt, & Ju- dicio practico pollent (qualem Adamum integrum fuisse oppi- do putamus) ex aliorum sententiis etiam erroneis, tanquam ex alienis periculis cauti redduntur, & vix alia ratione profi- ciunt, id quod experientia facile probari posset. Deinde tem- poris copiam & voluntatem & indolem speculativam Adamo ante lapsum defuisse, §. V. docuit. 3) Cadente sic Philosophia ante lapsum defendi amplius nequit Pansophia ejusdem post la- psam, quæ in memoria pristinæ scientiæ tanquam præcipuo argumento fundabatur. Neque etiam sola Adami longævitas Polyhistoriam ejusdem sufficienter probat, probandum præterea est, Adamum non tantum capacem satis fuisse ad inveniendas & excolendas sola ratione quascunque scientias, sed animum etiam eo applicuisse, atque ab aliis occupationibus vacuum huic rei potissimum fuisse deditum. Nos vero omnia alia de Adamo probavimus §. V.

VII.

Pro Physica
Adami
argum. I.
ab impos.
nominum.

Progredimur nunc ad specialia, atque inter hæc amplis-
simum campum differendi de Physica Adami primum ingredi-
mur. Hujus clarissima indicia deprehendi putant in ipsa Hi-
storia Mosaica Gen. II, 18. seqq. quæ verba è versione Tremel-
liana, ita se habent: *Dixerat autem Jehovah Deus, non est bo-
num esse hominem solum, faciam ei auxilium commodum ipsi.
Nam cum formavisset Jehovah Deus è terra omnes bestias agri,
omnesque volucres cæli, & adduxisset ad Adamum, ut videret,
qui vocaret singulas (etenim quocumque nomine vocavit illas
Adam animantem quamque id nomen ejus est) vocavissetque A-
dam nominibus pecudem quamlibet, & volucrem cæli, omnemque
bestiam agri: non aderat Adamo auxilium commodum.* Dupli-
ci modo è verbis istis Physicam Adami exsculpere annituntur:
primo quidem ex impositione nominum, quæ naturam cujus-
que animalis accuratissime expressisse, & effectus profundis-
simæ Philosophiæ Naturalis fuisse autumant: deinde ex eo,
quod Adamus sociam sibi convenientem inter animalia repe-
riri negaverit, intimam naturarum cognitionem colligunt.
Prior argumentandi ratio inter alios Eusebium, Svidam, Bo-
chartum, Kircherum autores habet. EVSEBIUS Præpar. Ev-
ang. XI, 6. ita differit: *Διὰ τῆς Φάνας, τῆτο ἦν ὄνομα αὐτῆς, τ
ἄλλο ἢ κατὰ Φύσιν πθεῖσθαι τὰς προσηγορίας περίεσι.* Cum ait
(quocumque nomine vocavit unumquodque) ipsum erat no-
men ejus, *quid aliud, quam appellationes, uti natura postulabat
inditas esse significat?* quæ verba profert & approbat Vener
Buddeus Introd. ad Hist. Phil. Ebr. §. I. not. (α). SVIDAS in
Lexico sub tit. Adam: *Καὶ ὡς ἐκάλεσεν Ἀδὰμ, τῆτο ὄνομα αὐτῶ
Τὴ τῆς σοφίας ταύτης καὶ διαγνώσεως ὑψηλότερον ἐκάλεσεν ὀνό-
ματα, τὴν Φύσιν αὐτὴν καὶ τὴν ὑπόστασιν ἐκάλεσε ζῶν ὡς ὡσπερ ὑπογρα-
φόμενος, ἔ μελετήσας, ἔ προσκεψάμενος, ἔδεν ἡ προπεπον-
θῶς, τῶν ὅσα μεταμανθάνουσιν ἄνθρωποι. Καὶ πολλῶν καὶ ἀναρίθμω
γενεῶ*

γενεῶν παραδραμασῶν ἐκ ἰχυσεν εἰς ὑπαλλάξαι τῶν τυχόντων
 ζῶν τὸ ὄνομα, εἰδὲ ἐκεῖναι θεοῦ μεγαλονοίας καὶ διαγνώσεως.
 Μᾶλλον μὲν ἔν μένεσιν ἅπαντες κατὰ πᾶσαν ἐσπαρμένοι τὴν γῆν
 ἄνθρωποι, τοῖς ἐκεῖναι ποιχῆντες ἀμετάθεσις θεσπίσμασι. Hierony-
 mus Wolfius sequentem in modum fuit interpretatus: *Es-
 sunt earum nomina, quæ Adamus eis imposuit. Quid hac voce
 & testimonio est evidentius? quid hac sapientia & cognitione
 sublimius? nam iis nominibus naturam & vim insitam cuique
 animanti veluti penicillo expressit, non præmeditatus, nulla cogi-
 tatione suscepta, nihil eorum ante perpessus, quæ homines postea
 discunt. Neque vero multis atque adeo innumeris atatibus ela-
 psis, quisquam vel minutissimi animalis nomen mutare, aut am-
 plitudinem ingenii, atque cognitionis, quæ in illo fuit assequi
 potuit, quin potius omnes homines per totum orbem dispersi in
 oraculis illius immutabilibus acquiescunt.* SAM. BOCHARTVS
 in Hierozoico Lib. I. cap. IX. ubi pag. 57. edit. Francof. 1675.
 docuerat, concursum animalium, Gen. II, 18. eo potissimum
 fine à Numine fuisse ordinatum, ut subjectionem homini quasi
 profiterentur, atque ipse in servitutis notam illis omnibus nomina
 imponeret, p. 58. laudat locum Platonis in Cratylo: *Non futi-
 le quid esse nominum impositionem, neque futilium; aut quo-
 rumvis hominum opus, atque hanc addit rationem, quod He-
 braea animalium nomina pleraque certa ratione nitantur ex natu-
 ra rei petita.* Ut vero sapientiam primi Ὀνοματοθέτης uberius
 demonstraret, a p. 59. usque ad 72. plurima congeffit exem-
 pla nominum Hebraicorum, quæ animalia designant, & si ori-
 go eorundem vel in Hebraica vel aliis Orientalibus linguis
 quæretur, naturam animalium egregie innuere videntur. e. g.
*Brutum בעיר a stupore, בהמה a silentio dici, quia bruta cum ho-
 mine collata stupida sint & muta; Feram diei זיי a motu, ut
 Græca κνώδαλον & κινώπετον; Avem חיה a volando & צפור quia
 mane surgat; Rapacem avem טורף ab involando, irruendo;*

Reptile inter alia nominari נחש a tardo motu ; serpentem נחש
 ex Arabico nachasa infaustum , mali ominis esse : quia occursum
 ejus primis parentibus infelix fuerit , & posteris ominosus & in-
 faustus habendus sit ; Camelum גמל a retribuendo , quia , licet
 mitissimus alias sit , accepta injuria diu recordetur ; equum ap-
 pellari סוס ex Arabico Sasa regere , moderari , quia docilis & vel
 umbra virgæ regatur , itemque פרש ex Arab. Pharasarapere pro-
 pter gressus rapiditatem ; asinum dici חמור a rubro colore , quo
 in Oriente plerique conspiciuntur ; nomen suis חזיר descendere
 ab Arab. Chazira , angustos habere oculos ; locustam vocari ארבה
 a copia , quia locustis nihil fecundius : hanc denique addit p. 72.
 conclusionem : Hinc discamus , quam exacta fuerit animalium
 notitia in primo illo humani generis conditore , quem hæc illis no-
 mina imposuisse refert Moses. Nempe in ejus animum Deus
 multa infuderat , quæ nonnisi gravi labore & longa experientia
 nos addiscimus , ita ut non solum superficiem , ut nos hodie , sed &
 ipsam rerum naturam introspiceret. ATHANAS. KIRCHE-
 RVS in Oedip. Aegypt. Tom. II. Class. II. p. 43. Adamum , in-
 quit , omnem rerum naturalium scientiam calluisse , ipsa S. Scri-
 ptura docet ; ubi animalibus nomina naturis cujusque apta im-
 posuisse memoratur , quod quidem sine absoluta totius nature scien-
 tia fieri non potuit. p. 46. fatetur , in hodierna linguarum
 perturbatione non recte dici , verba Φύσας imponi , primo ta-
 men rerum creatarum initio necessarium fuisse putat , ut ver-
 ba certo quodam naturæ decreto imponerentur : quia νοήματα
 sive Ideæ rerum minime fallaces rerum imagines atque ὁμοίω-
 ματα , voces autem νοημάτων effigies & simulachra sint , adeo-
 que in lingua perfectissima primi perfectissimique hominis non
 potuerint non rerum ipsarum naturam vere exprimere atque
 repræsentare , in primis cum divina quadam facultate atque vir-
 tute ingenii præditus fuerit & certissimum sit , Adamum habuisse
 efficacissimam ἀρχινοίας vim , sensuum omnium , ipsiusque ma-
 xim

xime rationis liberrimum atque expeditissimum usum i. e. vere fuisse Philosophum, ut in precedente scrutinio (sed non nisi testimoniis Svidæ & Rabbiorum fide indignis) ostenderit. Novam sententiæ suæ rationem depromit p. 48. ex verbis illis Gen. Et quodcunque nomen indidit illi Adam, illi inquam animæ viventi, fuit nomen ejus, quæ sic intelligit: fuerunt illis vera & germana nomina, & rerum naturis proprie accommodata, non secundum extrinsecam denominationem, sed essentialem quandam rationem, ita ut proprietates singulorum animalium singulis nominibus perfecte responderent, atque adeo ex ipsis nominibus solis in intrinsecam cujusque rei naturam facile pervenire quispiam posset. Addit Kircherus illustrationis gratia Rabbiorum & Alcorani consensum. Mox p. 49. hanc subjungit opinionis suæ explicationem: Adamum accepisse linguam a Deo, quantum ad alia omnia perfectam, præter eam partem, quæ animalium nomina continet, quam scilicet integram reliquit solertia & sapientia Adam: Imposuisse Adamum animalibus nomina singulorum naturis rite congruentia, nec ea quidem uno modo formata, sed diversis e causis petita, vel ex propria differentia specifica, vel ex naturali proprietate, vel ex motu, vel ex figura, vel ex peculiari aliqua operatione, vel ex aliquo singulari ac proprio accidente: Natura enim appellatione non tantum rei substantiam significari, sed accidentium etiam ὑπαρξιν. Succedunt nova argumenta; p. 55. provocat ad Targum Onkelos, ubi verba Gen. II, 19. למחיה לראות מה יקרא לו ita redduntur: למחיה לראות מה יקרא לו ut specularetur, quomodo vocaret ea. Pagg. seqq. prolixum exhibent locum R. Becchai; qui: Cognoscens, inquit, Adam in sapientia sua naturam Leonis, quod nimirum esset fortis, magnus, & Rex animalium, imposuit ipsi nomen אריה eo quod litera hujus vocis אהי sunt respirationis vehementioris. Cumque cognovisset Aquile volatum fortiolem esse omnibus aliis volucris, eandemque volatu se extollere usque ad

ipsam spheram ignis, & præ multitudine caloris se inde precipitare in mare, ubi decidentibus plumis veteribus, acquirit novas in primam juventutem restituta; idem singulis 10- annis repetere, atque centesimo anno in mari vita sua finem ponere; eam igitur ob causam Aquila dedisse nomen *בשר*, quoniam prima litera *ב*, *נפילה* casum, secunda *ש*, *אש* ignem; tertia *ר*, *רוח* spiritum denotet, atque sic nomen mores & naturam Aquila declaret. Asinum vocatum esse *המור* a *הומר* mensura maxima frumenti, ad cuius onera portanda aptus est; equum *סוס* a voce *שוש* gaudere, quod se sua alacritate exhiberet. Prolixius paulo sententias & argumenta Bocharti & Kircheri recensenda duxi, partim quod scripta illorum non in omnium hujus Diss. lectorum manibus versari putem, partim quod non ingratum fore sperem, e prolixis admodum eorundem tractationibus accuratius & brevius videre Compendium, quale ego quidem apud autores hac de materia agentes, & Kircherum æque ac Bochartum citantes frustra quæsi. Nervus argumentorum hic est: (1) Adam imposuit animalibus a Deo sibi adductis nomina, (2) Nomina hæc instar definitionum cujuscunque animalis naturam indicant, quod ulterius probatur a) ex emphasi verborum: quodcunque nomen indidit Adam cuique animanti, fuit nomen ejus Gen. II, 19. b) ex interpretatione Paraphrastæ Chaldæi: & adduxit Deus animalia, ut specularetur (sc. homo) quomodo vocaret ea, c) quia voces sunt simula- cra idearum, ideæ rerum, necessarium videtur, in lingua primigenia ab Adamo homine perfectissimo inventa nomina animalium, naturam horum æque accurate ac ipsæ Ideæ expressisse. d) exempla innumera horum nominum, si Etymologia eorundem accuratius consideretur, naturam facile indicant; hinc (3) sequi videtur conclusio: Ergo Adamus fuit excellens Physicus.

VIII.

Ordine examinabimus singula hæc momenta, & ante omnia dispiciemus, an sine omni dubio Adamus autor & inventor nominum primorum brutis assignatorum haberi debeat. Dubium movet Celeb. Reimmannus, cui verba Gen. II, quibus Adamo hæc ipsa inventio tribui videtur, in Histor. litter. antediluviana p. 53. ita interpretari placuit: *Es sprach der Jova der H^{er}: Es ist nicht fein / daß der Mensch alleine sey / Ich will ihm ein Gehülffen machen / die bey ihm sey. Es hatte aber der Jova der H^{er} von der Erden gebildet alles Lebendige der Erden / und alle Vögel des Himmels. Und Er führete dieselben zu den Menschen / um zu sehen / was er zu sich ruffen würde. Denn alles was der Adam zu sich ruffen würde als eine lebendige Seele / das sollte seinen Nahmen haben. Und es rief der Adam die Nahmen aller Thiere und der Vögel des Himmels / und alles dessen was da lebet auf dem Lande. Allein er hat vor den Menschen keine Gehülffe funden / die um ihn wäre / und da ließ der Jova der H^{er} einen tieffen Schlaf fallen / und er entschlief / und Er nahm seiner Rippen eine &c.* Et, quemadmodum interpretatio hæc multum omnino ingenii ostendit, ita certo certius sibi persuadet Vir Celeberr. eam connexioni verborum scopo textus & naturalibus vocum significationibus egregie respondere, adeo, ut palam profiteatur, dubitaturum de certitudine hujus versionis, apertam textui vim illaturum esse. Videbimus rationes, quæ sententiæ huic pondus aliquod dare possunt. Primo omnium autem probabilem reddi eandem vocabulum אָדָם, quod, ubi cum ה constructum invenitur, semper accersendi significationem indicare, probat Celeb. Eduardus Leighius in Critica sacr. p. m. 438. ubi confirmationis loco adducit Loc. Gen. XXXI, 4. Secundo secundum Reimmannum Scriptor Sacer citatis verbis nihil aliud intendit, quam docere, ut Adamus singula animalia accersiverit, an forte socium

An Adam autor nominum animalium? Rationes dubitandi.

socium sibi ex iisdem adsciscere posset: Iustratis vero omnibus
 nullum invenisse, quod huic ineundæ secum societati aptum
 esset: huic igitur defectui, quem agnovit homo, ut subveni-
 ret Deus, Evam creavit Adamo & externa corporis forma &
 oratione & ratione similem, & quæ ad concipiendam parien-
 damque sobolem humanam erat disposita. Optime igitur
 cohærere videntur omnia, si de sola advocacione animalium
 textus intelligatur, male si de appellatione & nominatione.
 Tertio varie sunt difficultates, quæ communem de impositio-
 ne nominum explicationem premunt. Vel enim omnibus
 animalibus vel nulli nomina dedit Adam. Quibusdam tan-
 tum dedisse, credibile non videtur: quæ enim ratio cur qui-
 busdam nomina imposuerit, reliqua Anonyma reliquerit?
 Non vero omnia nominasse animalia, vel ipsi communis sen-
 tentiæ fautores ob evidens Mosis testimonium fateri tenentur:
 siquidem non tantum mentio piscium omittitur, sed etiam de
 iisdem dici nequit, quod de animalibus a Deo adductis Gen.
 II, 19. וַיִּבְרָא & venire fecit, adduxit. Quarto temporis eti-
 am ratio obstare videtur nominationi adductorum animalium,
 probabile enim est, ut supra innuimus, Adamum paucos tan-
 tum dies, & quod plerique statuunt, vix unum diem integrum
 in Paradiso & Integritate perstitisse: hoc autem admissio, fieri
 vix potuit, ut Adamus intra tam breve temporis spatium sin-
 gulis animalibus nomina imponeret: imprimis si veræ essent
 fabulæ & ceremoniæ, quibus Moses Barcepha Syrus lib. de Pa-
 radiso apud Kircherum Oed. Aeg. Tom. II. p. 49. hanc ipsam
 nominationem describit: *Adamum editiore Paradisi loco insi-*
dentem, augustaque autoritate & majestate, ac tali vultus splen-
dore, qualem emicuisse ex facie Mosis Scriptura testatur, voce,
qua sensu excipi posset, pronunciata, singulis animantium gene-
ribus nomina indidisse, unumquodque nominatim appellando; il-
la vero submissis capitibus prona, nec pro nimio decore, quo ille
resplen-

resplendebat, intueri ipsum audentia, singulatim prateribant, & suis ab illo appellabantur, ex ordine, nominibus v. g. cum Taurum ille nomine appellaret, continuo is audito nomine transibat coram illo, capite submisso; similiter nominatim citatus equus, prateribat dejecta cervice, neque Adami aspectum sustinens; idemque ceteris contigit. Quamvis vero relatio hæc nullam mereatur fidem, nihilominus vix videtur credibile, Adamum brevi paucorum dierum spacio omnibus omnino animalium terrestrium majorum & minorum, aviumque speciebus nomina indidisse. Possem hoc loco recensere sententiam Philologi Helmstad. celebratissimi Hermannii von der Hardt / cujus Epistola ad Noltenium in *Mosis severissimi morum censoris historiam*, Gen. II, 18. 19. 20. de vocatis ab Adamo animalibus contra Bochartum Helmst. in 8. 1705. edita negat, ceu falsam vulgi & Judæorum opinionem, Adamum omnibus brutis nomina imposuisse naturæ cujuslibet congrua, id potius statuit, a Mose l. c. indigitari; Adamum fuisse jussum diu multumque inter viva animantia, quomodocunque vocarentur aut nominarentur, circumspicere, num quod in illis deprehenderet, quod in ipsius auxilium & jugalem fociam adscisci posset, invenisse autem nullum. Hæc ipsa vero in memorabilem conjugii primi historiam deliberato fuisse a Mose inserta, ut suos a detestanda consuetudine vicinarum gentium cum brutis, & dæmonibus animabusque defunctis rem habendi, dehortaretur. Quam sententiam una cum argumentis nomenclationem Adamo denegantibus cum Cl. Lilienthal prolixius recensuerit simulque accurate refutaverit *Diff. de vocatis ab Adamo animalibus ad Gen. II, 18. 19. 20. in Cl. V. Herm. von der Hardt/* quæ recusa est cum *Selectis ejusdem Historicis & literariis Regiom. 1715. in 8. brevitatis studio curiosum Lectorem eo remitto.*

Responſio
ad Rationes
dubit.

Quodſi vero accuratius inquiremus in fundamenta propoſitarum rationum, lubrica admodum deprehendemus 1.) quamvis negare non poſſimus, vocabulum קרא, cum primis ubi cum ל constructum apparet, accerſendi ſignificationem ſæpius habere: certiffimum tamen eſt, idem verbum cum ל constructum ſæpiſſime nominum impoſitionem indicare, exempla huius ſignificationis multa exhibet Celebr. Danzius Interpr. §. 124. not. (n) multo plura autem e Concord. Hebr. excerpti poſſunt. Speciminis gratia proferam verba Gen. XXI, 31. על כן קרא למקום ההוא באר שבע quæ aliter quam hac ratione verti non poſſunt: *Et vocavit locum illum Beer-Schebah, quia ibi juraverunt ambo.* Male igitur à particulari, atque ex eo, quod nonnunquam קרא cum ל constructum accerſendi ſignificationem habet, infertur: ergo hoc etiam loco in eodem ſenſu accipi debet. Facili opera invertemus & probabimus è contextu ſignificationem hanc non tantum non debere, ſed & non poſſe quidem locum hic obtinere: namque v. 19. dicitur הוא שמו hoc nomen illius ſc. erat; quem ſenſum dabis hiſce verbis, ſi proxime antecedentia non de nominatione, ſed de advocatone intellexeris hoc modo: *Et quamcunque accerſivit homo animam viventem, hoc erat nomen ejus?* E contrario bene cohærent omnia hac ratione: *Et quocunque (ſc. nomine) appellavit homo animam viventem, hoc erat nomen ejus.* Deinde v. 20. expreſſe dicitur de homine ויקרא שמורת & vocavit nomina animalium: quæ verba admodum incongrue de accerſendo intelligerentur, præcipue cum hoc commate קרא cum ל constructum non legatur, quia vero comina hoc executionem tradit conſilii divini commate 19. indicati, non poteſt non idem eorundem ferme verborum ſenſus utrobique ſtatui. Denique ſcrupulum omnem tollet perſpicua reſolutio verborum illorum v. 19. וכל אשר יקרא לו הארם נפש חיה הוא שמו. intri-

intricata hic videtur esse constructio, inprimis ob verba נפש חיה, quæ vel eleganter redundare vel transposita esse plerumque creduntur. Tres tamen diversas interpretationes horum verborum recenset Cl. Lilienthalii cit. Diff. §. VI. Quartam vero & fortassis facillimam nos addemus, referentes ל ad antecedens Pronomen Relativum אשר, cujus casum obliquum (secundum Celeb. Danzii Interpr. §. 19. II.) & quidem Ablativum indicet, cujus casus vim Particulæ ל assignat Celebr. Danzii Interpr. §. 198. Ita sine omni Pleonasmō & Metathesi verbis hebraicis hæc respondebunt Latina: ut omne (sc. nomen) quo appellaturus esset Adam animam viventem, id ipsum esset nomen ejus; hac admissa interpretatione, cadit omne argumentum à constructione קרא עם ל desumptum: tunc enim קרא non nisi accusativum נפש חיה regere diceretur. Ad 2) dubitandi rationem à contextu petitam concedendum quidem puto, e scopo primario textum indicasse, inter animalia non fuisse sociam ab Adamo repertam, atque hinc indiguisse Adamum auxilio Dei & creatione Evæ: hoc tamen non obstante incidenter & in parenthesi, cujus plura exempla in Genesi occurrunt e. g. II, 5. 6. XV, 3. impositionem nominum commemorare potuit: & quemadmodum sæpius res, quæ alicujus neque tamen maximi momenti sunt in parenthesi breviter proponi solent, ita & hic idem factum esse, admodum est probabile. Tertio dubio occurri potest primo, si asseratur נפש חיה esse vocabulum generale, quod denotet quodcunque vivens, sive sit in terra, sive in mari, sicut Ps. CIV, 25. majores & minores pisces nomine חיות insigniuntur: statui hinc posset omnia omnino animalia, ne piscibus quidem exceptis, nomina accepisse ab Adamo, Mosen autem, licet extra Parenthesin de terrestribus tantum & volucris egerit, in parenthesi horum æque ac aquatiliū adeoque omnium animalium nominationem indicasse. Neque absurdum esset perhibere,

bere, Potentissimum Numen per magnum illud flumen Para-
 disiacum, quod in IV dividebatur amnes, Gen. III, 11. omnes
 in conspectum hominis adduxisse pisces, ut nomina iisdem tri-
 bueret. Sed fateor, hanc responsionem non esse magni mo-
 menti, eo quod Gen. II, 20. nominantur animalium ab Adamo
 nominatorum genera עוף השמים חיות השדה ad quo-
 rum neutrum pisces commode referuntur. Igitur secundo
 negamus, incongruum esse, quædam tantum animalia nomina
 accepisse ab Adamo reliquis sine nomine tunc relictis. Vel
 enim cum Bocharto l. c. p. 57. afferemus, convocata fuisse a
 Deo animalia præter alios in hunc etiam finem, ut subjectionis
 suæ quasi voluntariam professionem ederent, & in servitutis
 notam nomina ab Adamo nanciscerentur, prout à dominis
 fervi soleant Gen. XLI, 45. Dan. I, 7. 2. Par. XXXVI, 4. Hunc
 autem in finem suffecisse videtur, si quædam & quidem præ-
 stantiora animalia loco omnium novo suo Domino sese stite-
 rint: quemadmodum inter homines nonnunquam contingit,
 ut novo imperanti quidam tantum subditi præsentis instar o-
 mnium homagium præstent, absentibus nihilominus ad fidem
 & obsequium obstrictis. Vel dicemus, animalia ideo potissi-
 mum fuisse Protoplasto adducta, ut eo evidentius convincere-
 tur, opus sibi esse socia rationali à Deo creanda (cujus etiam
 finis Bochartus l. c. meminit) hujus autem rei gratia necessa-
 rium non erat, pisces & quævis animalia adfuisse: modo ac-
 cesserint animalia quædam utriusque sexus, aves imprimis &
 terrestria, quæ circa hominem magis esse solent. Quod igitur
 quædam tantum animalia nominibus tunc distinxerit Adam
 duplicem habere videtur causam; unam, quod ista occasione
 divinæ sapientiæ jussu plura ipsi spectanda se non obtulerant,
 præsentibus autem nomina dare Deus jufferat, alteram, quod
 Adam, mox uxore donandus, ante omnia opus habuit nomi-
 nibus animalium sibi maxime familiarium, de quibus præcul du-
 bio

bio magis quam de piscibus cum Eva locutus est ; nullum tamen est dubium, quin postea successu temporis piscibus etiam sua dederit nomina. Quæ protuli hucusque de particularitate animalium ab Adamo vocatorum lucem fœnerari possunt, e Jac. Bernardi Nouvelles de la Republique des Lettres a. 1705. m. April. ubi descriptam supra Epistolam recenset & censet, atque inter alia p. 417. conjicit, quando Textus sacer de omnibus speciebus animalium terrestrium & avium loquitur, quas tamen species omnes adfuisse minus videtur necessarium, hæc de universalitate morali h. e. de plerisque non de omnibus omnino intelligi debere ; pluribus enim exemplis Scripturæ S. docere potest particulam $\delta\omega$ *omnis* & respondentia huic vocabula Græca in hoc sensu accipi e. g. Ps. IX, 2. Luc II, 1. Quarto denique urgebatur ab Adamo, nomina omnibus animalibus dari non potuisse, quia vix unum alterumve diem perstitisset in statu primo. Quidam enim volunt, Adamum peccavisse statim ipso die creationis suæ, adeoque non permanisse in Paradiso nisi VI, VII aut X horas ; alii vero ad VI, VIII vel X dies spatium hoc extendunt : rursus alii ad XXXIV aut XL annos, respicientes ad Christum Salvatorem nostrum, qui 34 annos in terra fuit & 40 dies à cibo ac potu abstinuit vid. Bælium in Abel not. (A). Nobis quidem supra videbatur & etiamnum videtur, post institutum matrimonium & divina benedictione beatum non diu a generatione abstinuisse Protoplastos : cum vero primus conciperetur filius, jam lapsi erant, ut Gen. IV, 1. docet. Hoc ipsum agnovit Bælius l. c. hunc in modum scribens : *Si aliquando probari posset innocentiam Adamum durasse plures dies, indubia ferme redderetur opinio illa, sine fructu prohibito Adamum & Evam aeternum servaturos fuisse virginitatem suam, & nonnisi e prævisione lapsus Deum produxisse diversitatem sexuum.* Quod quia incongruum, quo brevior statuitur status integritatis, hoc propior videtur esse sen-

tentia veritati. Confirmat hæc porro Bælius: *Certum est, in-*
quiens, per textum Mosis, Adamum nonnisi post exitum e Para-
diso cognovisse feminam. Cur vero distulit eo usque consumma-
tionem matrimonii sui? Annon receperat benedictionem nuptia-
lem ex ore Creatoris? solidissima ratio, quæ potest allegari, est,
quod femina fuerit tentata & seducta statim cum vix esset for-
mata. Idem quoque habet Augustinus L. IX. de Genesi ad Lit.
e. IV. mox creata, inquit, muliere antequam convenirent, facta
est illa transgressio. Ex his inferri quidem potest inter crea-
tionem Evæ & lapsum primorum Parentum exiguum temporis
spatium intercessisse, aliqua etiam sed minori fortassis probabi-
litate asseri potest, paucis post creatum Adamum diebus Evam
fuisse productam: sed definire quidquam si vellemus, Angelo
Rasiele Adami Magistro, si vera est fabula, opus esset: hinc
concludi nequit, ob temporis penuriam Adamo nominum im-
positionem denegandam esse. Deinde qui multum requirunt
temporis pro inventione nominum animalium inniti videntur
præjudicio de Physica Adami aliisque opinionibus nunquam sa-
tis probandis, à nobis vero mox confutandis. Nihil ergo
conficiunt IV. illa argumenta ad negandam Adamo animalium
nominationem inculcata.

X.

Sententia
 nostra de
 autore no-
 minum ani-
 malium.

Mea de præposita quæstione sententia eo primum tende-
 bat, Deo ceu primario autori & inventori nomina animalium
 adscribenda esse, hominem autem, quod indicata sibi a Deo
 nomina animalibus distribuerit & super his præsentibus pro-
 nunciaverit, pro autore secundario recte haberi. Putabam
 enim, primum hominem vi perfectionis suæ non potuisse non
 à primo suo ortu notitia vocum & habitu loquendi polluisse,
 qualem supernaturaliter in Apostolis excitatum fuisse novi-
 mus: partim ut Dei alloquia & præcepta intelligere, partim
 ut respondere Deo & preces ad Numen fundere, partim etiam

ut

ut cum uxore colloqui posset. Placebat Jo. Clericus Comm. in Gen. p. 23. in hanc sententiam inter alia hæc proferens: Ut ad pleraque vocabula rerum, quorum nullus erat primis Parentibus usus, quod attinet, concedi hoc potest (linguam nonnisi sensim inventam esse) ita in summe necessariis, non videtur Deus linguam iis maxima cum molestia inveniendam reliquisse. Cum adulti uterque essent à Deo creati, creatus simul in illis loquendi habitus, saltem in præcipuis, quod haud multo aliter evenisse crediderim, quam quando Apostoli linguis, quas antea ignoraverant, loqui cœperunt. Deinde ob angustum temporis spacium (de quo in antecedentibus sæpius egi) primo homini inventionem nominum pro quibuscunque animalium terrestrium & volatilium speciebus impossibilem judicabam, præcipue quod singularem præstantiam primævæ linguæ assignandam esse nullus dubitabam. Sed mutavi animum, atque nunc, Adamum nomina animalium ad se adductorum invenisse ipsisque imposuisse, mihi persuadeo; posteaquam perpendi verbum קרא cum in aliis V. T. locis, tum in IV primis Capitibus Geneseos sæpius occurrens, semper in reliquis horum capitum commatibus nominum inventionem denotare, atque hinc collegi, in nostro textu, ubi ter legitur, ab hac significatione recedendum non esse sine gravi causa, quæ tamen hic nondum comparuit. Quemadmodum vero hac in parte à littera historiæ Mosaicæ non recedimus, ita etiam eandem S. litteram sequentes primum linguæ primæ autorem Deum statuimus. Namque Gen. I, 5. 8. 10. Numen nomina diei & noctis, cœli, terræ, marium invenisse, atque pronunciaffe (cum sc. Adam creatus esset) Gen. II, 16. 17. legem de arbore vetita promulgasse dicitur. Hebraicas igitur voces קרא & אמר, collato in primis Gen. III, 9. 10. proprie capiendas, & cum Deus incorporeus sit, de sonis in aëre per potentiam divinam formatis intelligendas esse credimus. Venerunt vero soni isti ad
aures

aures Adami, antequam ipse primum loquelæ specimen nomenclatura animalium ederet, dubiumque nullum est, quin sensum verborum divinatorum Deus Protoplasto patefecerit. Ita percepta divina inventionem & auditum non tantum singulis vocibus sed integris etiam Propositionibus admodum est credibile, Adamum Judicio Practico excellentem inventis facile aliquid addidisse, & ad imitationem vocum divinitus ortarum animalibus nomina dedisse (quod verba Gen. II, 19. 20. volunt) temporis vero successu plenioris linguæ habitum sibi acquisivisse. Quod vero ad temporis rationem attinet, si ponamus unum vel duos dies nominatione adductorum præcipuorum vel plerorumque animalium consumsisse Adamum, nihil dicemus, quod vel brevi integritatis durationi, vel ipsi huic labori contradicat, nisi Physicas rationes omnibus nominibus subesse suspiceris, quam tamen sententiam jam nunc examinabimus & confutabimus.

XI.

Nomina
non expres-
serunt ac-
curate na-
turas ani-
mal.

Respondebimus paucis ad argumentorum nervos sub finem §. VII. supra inculcatos. a) ex verbis *שמו הוא* alius exculpi sensus nequit, quam, *nomina, quæ Adam animalibus dedit, fuisse, & permansisse nomina ipsorum*: verbum enim substantivum hic subintelligendum, in aliis etiam linguis, sicut apud Hebræos quodcunque verbum, de *continuatione* sæpius intelligi debet, vid. Danzii Interpr. §. 95. atque in tantum approbamus verba Suidæ p. 19. allegata: Physicas vero subesse nominibus rationes, nemo nisi præconceptæ & nondum probatæ opinioni indulgens cum Eusebio, Svida & Kirchero e verbis Mosaicis colliget. Emphasis, si quæ hic est, autoritatem primi *ὀνοματοφύτης* respicit. b) Multo minus verba Paraphrastæ Chaldæi probant, quod ex mente Kircheri probare debent. Putat vocem Chald. *אין* de speculatione, meditatione capiendam esse, atque ad Deum minus quadrare, hominis igitur speculatio-

culationem, & quidem de nominibus convenientibus cum natura cujusque animalis, indicare. Verum enim vero verbum אִנָּן æque ac Hebr. אִנָּן de Deo etiam usurpari e. g. in Targum Jer. XVIII, 17. Buxtorfii Opus XXX. annorum docet: sicut igitur Hebræum אִנָּן ceu ἀνθρώπων παρὰ θεῶν dictum ad Deum commodissime refertur, & secundum Danzii Interpr. §. 127. & 200. vertitur: *ut videret, Deus sc.* eodem modo Chaldaicum אִנָּן לְ verti debet. Nihil jam dicam de autoritate hujus Paraphraseos, quæ omni exceptione major non est. Si autem vel maxime concederem, de Speculatione Adami sermonem hic esse, nimis tamen præcipitanter inde concluderetur: Ergo speculatus est de nominibus naturas exprimentibus. c) Negamus voces talia esse simulachra Idearum, qualia Ideæ sunt respectu rerum, quas præsentant. Ideæ si bonæ sint & claræ, exhibent quasi in speculo essentialia & præcipua rerum suarum attributa: voces vero eo potissimum spectant, ut homo cogitationes suas alteri patefacere possit: hunc in finem opus non est, ut quodlibet vocabulum præcipua rei attributa indicet: Sufficit, si alter, audito vocabulo ceu signo, ejusdem Ideæ, quam loquens in animo habet, atque in audiente excitari voluit, illico recorderetur. Quemadmodum vero significationes plurium vocabulorum vel a se vel ab aliis impositorum in promptu habere, res memoriæ est: ita facilitatem & perfectionem linguæ puto, plurima habere vocabula derivativa: e. g. ἀνδρίζεσθαι fortiter, viriliter se gerere ob primitivum suum ἀνδρὸς vocabulum facilius notabimus quam verbum ἰχθύειν idem significans. Concedimus igitur in derivativis vocabulis rationem denominandi ab aliquo rei attributo, sed in sensus facillime incurrente, proprio & sæpissime accidente sumi, idque in lingua primæva imprimis sedulo observatum esse. Sed quæ inter vocabula primitiva & res significatas convenientia? Ita simul d) respondeamus ad exempla a Bocharto & Kirchero prolata. Concedemus tantisper Bruta a stupore & silentio, Reptilia a motu tar- do, camelum a retribuendo, suem ab angustis oculis, asinum a frumenti oneribus, equum ab alacritate nomina habuisse,

cur vero primitiva illa nomina has præcise significaciones obtinuerint, ex nulla naturali eorundem cum Ideis & rebus suis convenientia solide deduces, quæ ex arbitrio ultimato orta, melius statuemus cum Röttenbeccii nostri Logica Vet. & Nov. Q. 49. seqq. cur ראה *videre* significat, שוש vero eundem non habet significatum, an prior sonus cum visione naturalem habet connexionem, annon visionem alter sonus æque exprimeret, etiamsi autoribus linguæ eodem adhibere hanc voluisset? Commiseratione potius quam refutatione digna sunt R. Bechai verba, e Kirchero p. 21. excerpta, quibus nomen Leonis אריה fortitudinem & magnitudinem ejusdem per literas אהי vehementem aspirationem in pronunciando requirentes indicari putat. Deinde, quando Kircherus & Bochartus supponunt verba illa, quæ proprietates animalium indicant, & a quibus animalium nomina derivant, prius extitisse quam nomina animalium, quando porro Kircherus statuit, reliqua vocabula omnia, exceptis tantum animalium nominibus, a Deo Protoplastis fuisse indita, non tantum sine fundamento, sed & contra Historiam Mosaicam & probabilitatem hæc asserere videntur: Probabile est Substantiarum nomina concreta prius inventa fuisse quam solorum accidentium, quæ substantiis inhærent, e. g. tardi motus, lætitiæ, angustorum oculorum: Ad hæc priora Geneseos Capita tanquam peculiare & singulare quid recensent, Deum quibusdam a se conditis rebus nomina dedisse, & legem aliquam homini promulgasse, mox ipsum hominem animantibus nomina imposuisse; credibile igitur non est, ante nomenclaturam brutorum integram linguam & præcipue verba fuisse inventa, cum Scriptura hac de re, quæ memoratu dignior esset derivativorum origine, fileat: Si enim ponamus verba illa e. g. retribuendi, tardius se movendi, divinitus homini fuisse indicata, nihil erit singulare camelum injurias retribuentem, reptile tardius se movens nuncupasse, modo experientia docuerit, inesse hæc attributa dictis animalibus. Multo itaque credibilius mihi videtur, Adamum nomina animalium tanquam primitiva invenisse, & ex libero arbitrio (cui

uxor & liberi accommodare se tenebantur) attendendo tamen ad analogiam vocum a Deo sibi manifestatarum, formavisse, atque ad denotandas has vel illas animantium species applicuisse; postea vero verba ex nominibus fuisse derivata, e. g. e nomine Suis חזיר verbum ab Arabibus asservatum Chazira angustos habere oculos. Kabbalisticas vero nominum rationes vocis נשר e R. Becchai p. 22. nominasse est refutasse. Ita refutata illa Præmissa de nominibus animalium naturas singulari ratione exprimentibus, cadit etiam conclusio: Ergo Adam consummatus fuit Physicus. Hæc etiam caderet, si vel maxime concederemus, Etymologias illas, & nomina naturis rite congruisse, in eo sensu, quem exempla Bocharti & Kircheri explicatio suppeditant, ut naturæ nomine latius acceptæ accidentia quæcunque comprehendantur (namque naturam cujuscunque rei strictius acceptam, i. e. *intrinsecam constitutionem seu internum operationum principium, formam, essentiam*. vid. Sturm. Phys. Erot. Prælim. Q. I. sqq. e. g. internam illam constitutionem cameli, ex qua vindictæ cupiditas provenit, vocabulo unico exprimi posse nullum hucusque exemplum docuit neque etiam fortassis docebit) Physica enim scientia præcipue in cognitione naturarum & formarum particularium, atque in explicatione Phænomenorum ex hypothesibus consistit. Sed omnes illæ proprietates omniaque accidentia, quæ pro rationibus denominandi vulgo habentur, nonnisi inter Phænomena atque initia cognitionis Physicæ referuntur, adeoque Historiam Naturalem Adami indicarent, quam sine Etymologiis amplam satis, & quoad historiam animalium cognitione Aristotelis, cui Alexander M. 480000. aureos impendit, multo ampliorem & accuratiorem fuisse Bocharto Hieroz. p. 56, concedimus, eandemque a Protoplasto ad cognitionem & laudem Supremi Numinis adhibitam fuisse nulli dubitamus.

XII.

Refutavimus hucusque prolixius primum pro Physica Adami argumentum e Gen. II. 18. sqq. deductum: veniam autem prolixitati nostræ impetrabimus, eo quod argumentum speciosum, communi fere applausu approbatum, accuratius examen mereri videbatur. Eo breviores autem esse nunc possumus in resolutione reliquorum dubiorum. Quando Dn. von der Hardt in Ep. cit. qua

Pro Physica Adami argumenta reliqua refutantur.

nomi-

nomina animalibus per Adamum imposita esse negat, pro insigni specimine summæ sapientiæ ac prudentiæ oculatissimi Adami venditat, quod, accersitis & attente consideratis animalibus, nullam plane cum ullo bruto familiarem consuetudinem naturæ humanæ esse convenientem judicaverit; facili quidem opera exinde argumentum probabile pro Physica Adami formabitur. Respondemus breviter, ad ferendum illud iudicium negativum, inter bruta non esse sociam pro homine, non requiri integram scientiam Physicam, adeoque hanc inde colligi non posse: suffecit observatio experimentalis, bruta carere sermone, & facta hinc argumentatio, eadem destitui ratione, atque hinc ob dissimilitudinem inepta esse ad societatem conjugalem. Novam pro Physica Adami ratiunculam Suidas l. c. petit ex eo, quod statim conspecta muliere non ut ex humano ore sed quasi divina voce in eo resonante admirabile illud oraculum instar vatis est elocutus: Hoc nunc est os ex ossibus meis &c. Gen. II. 23. Sed respondere pro nobis ipse videtur Servator noster Matth. XIX. 5. oraculum hoc primo rerum omnium Conditori adscribens, unde revelatione divina non vero naturali ratione hæc Adamo innotuisse concludimus atque in tantum approbamus verba Clerici ad Gen. II. 23. Si hæc verba revera Adamus protulit, ex revelatione divina, quæ hic brevitate causa omittitur, unde formata fuisset Heva, cognoverat. Denique post lapsum per longissimam experientiam Proto-plasto seminum, stirpium, radicum, herbarum, aliarumque rerum naturalium Phænomena innumera innotuisse, eundemque quorundam effectuum causas ratiocinando indagasse, atque imprimis hanc notitiam ad praxin & felicitatem tam supremam quam subordinatam bene applicasse, ambabus largior manibus, integrum autem Systema hypothesium Physicarum hinc inferri posse ob rationes §. V. & VI. propositas nego atque pernego. Efferet nunc ad reliquas Philosophiæ partes pergendum, & quid earum Adamo minus vere tribuatur, indicandum, sed ob plura impedimenta hæc peculiari Dissertationi reservamus. Interim DEO T. O. M. pro clementi assistentia submissas agimus gratias, atque ut gratia sua studiis nostris porro adsit, precamur.

Errata quædam: p. 12. lin. 4. ante ultimam: deleatur *non*. p. 18. in loco Suidæ inter lineam 1. & 2. hæc inserenda essent verba: τὴ τῆς σοφίας ταύτης καὶ μαρτυρίας ἀειδηλότερον. pag. 19. lin. 1. pro ὑπαλλάξαιτι lege ὑπαλλάξαι καὶ. p. 22. lin. 5. pro רבב lege רבב. ib. lin. 6. pro ב lege ב.